



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXVIII. Prædestinatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXVIII.
PRÆDESTINATIO.

§. I.

Prædestinatorum paucitas.

Numeras stellas si potes: sic eris semen tuum. Gen. 15. 5. Et Gen. 13. 16. *faciamque semen tuum sicut pulverem terræ.* An stellæ terræ pulveres exæquabunt? minime. In tota Abrahæ progenie, seu Christi prosapia, tota Chriisticolarum multitudo representatur: quorum quidam stellæ; quidam pulveris, seu Arenæ, grana. Stellæ, id est, prædestinati, numerabiles sunt. Deus enim Psal. 146. 4. *numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* At reproborum innumera caterva. Hinc Rupertus l. 5. in Gen. 10. Bene pulveri terræ comparati sunt; quem dinumerare nobis quidem impossibile, Deo autem judicatur superfluum; apud quem soli Electi noti sunt. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. Sect. 1. Obf. 6.

Va mihi! quia factus sum, sicut qui coligit in autumno racemos vindemiarum. Michææ 7. 1. id est, post vindemiam, q. d. ego Michæas tui quasi pauper racemator. Hic enim post vindemiam sperat, se saltém aliquos racemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inventurum. *Sed non est botrus,* id est, non unum, & vix unum, qui se converterit, invenio. Quocirca gemo, & ploro: heu mihi? oleum, operamque perdidit. &c. Cornelius hic.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20. 16. Cur electi dicuntur pauci? cum Joannes Apoc. 7. 9. dicat: *vidi turbam magnam, quam annumerare nemo poterat &c.* Carthus. pauci electi sunt comparativè ad reprobos; vel etiam ad Christi voluntatem: quæ vult omnes salvos fieri. Sic intellige illud Apoc. 12. 9. *Proiecius est draco ille magnus, serpens antiquus, qui seduci universum orbem.* S. Thom. quod dicitur, quod universum orbem seducit; intelligitur quantum ad reprobos; qui sunt major pars orbis. Sylveira hic c. 34. q. 18.

Nanquid ego sum Domine? Matth. 26. 22. Cum Discipuli audiunt: *unus vestrum me traditurus est,* contristantur. Quia, ut ait S. Chrysost. hom. 71. in Joan. quod ad unum perditio referebatur, hoc formidineri minuebat: sed quod addiderat, *unus ex vobis,* simul omnes perturbat. Dicit Christus Matth. 7. 13. *multi sunt, qui intrant per eam.* Et quàm pauci cum timore quarunt: *nunquid ego sum Domine?* S. Chrysost. s. l. de fer. 5. Pass. ô beati Apostoli! facilius vestra innocentia contristata, quàm pœnalis Judæ audacia; quæ non est confusa. Sic plerumque probi magis timent perditionem, quàm scelerati. Sylveira hic.

Ut quid dereliquisti me! Matth. 27. 46. Origenes putat, queri Christum de paucitate

salvandorum, & multitudine damnandorum; qui fructu Passionis, & mortis ejus exclusi sunt. Sylveira hic c. 18.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. id est, in familia Jacob, quæ est congregatio electorum; in quibus regnat hic per gratiam, in futuro per gloriam. Per hoc, quod dicitur, *in domo,* notatur paucitas. Multi vocati. Hugo Card. hic.

Aliud cecidit &c. Luc. 8. 5. 6. 7. Igitur tres partes eorum sunt, qui pereunt; una autem eorum, qui salvantur. Theophylactus hic.

Et qui prior descendisset in piscinam. &c. Joan. 5. 4. Ex ægrorum multitudine unus sanabatur: ut exprimeretur prædestinatorum paucitas, reproborum multitudo. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. Sect. 1. Obf. 6.

Habes pauca nomina in Sardis, quæ non inquinaverunt vestimenta sua. Apoc. 3. 4.

Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum quidem est, quod dicitur sum; dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salvantur. Quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus, quæso, malitia! quantus in senibus torpor! filii curam gerit nemo, nemo zelum habet, sic senem respiciens imitetur. Exemplaria deleta sunt; propterea nequæ juvenes evadunt laudabiles. S. Chrysost. hom. 40. ad pop. Anthioch.

§. II.

Unicuique propria voluntas est causa sua damnationis, vel salvationis.

Ex Veteri.

Impii in tenebris conticescent. 1. Reg. 2. 9. Quia non habebunt quidquam excusationis, quod culpæ suæ, & gehennæ, obtendant: quia convicentur, & convicti silebunt. Hinc *gehenna* vocatur Hebr. *duma;* id est, *silentium,* & locus silentii. Cornelius hic.

Apud te est fons vitæ. Pl. 35. 10. DEI domus ubertas, & divinarum torrens voluptatum ideo nos implet, quoniam apud Dominum est fons vitæ. Si quis aliò divertat; vitæ fontem non inveniet, sed famem, & ariditatem. S. August. tr. 25. in Joan. quoniam apud te est fons vitæ, & non apud nos; ideo intrare debemus, ut vivamus. Bæza t. 3. l. 14. c. 10. §. 10.

Latetur cor quærentium Dominum. Psal. 104. 3. Gaudium est de re præsentis, quam jam habemus, cur jubet latari, qui quærent? Lyranus: quærens aliquid, habet materiam lætitiæ, quando est certus de inventione: quærentes autem Dominum fideliter inveniunt eum ineffabiliter, secundum illud. Matth. 7. 8. *omnis*

Rrr 3

qui

qui querit, invenit. Ideo in Psalmo subditur: *querite Dominum, & confirmamini*, v. 4. id est, certi sitis de inventione. Mare quis incusat, quod infidum tanta absorbeat; imò Deum ipsum, qui id creavit. S. Ambros. l. de Eliâ & jejun. c. 19. elementum innocens nihil delinquit; temeritas humana ipsa est sibi discrimini. Denique, qui non navigat, nescit timere periculum. Dominus dixit: *dominamini piscibus maris*. Gen. 1. 29. non dixit, navigate in fluctibus. Piscibus dedit, non hominibus, *perambulare semitas maris*: ad escam tibi datum est, non ad periculum. Did. Niss. Dom. Sexag. §. 4.

Nolite zelare mortem in errore vite vestrae. Sap. 1. 12. q. d. nolite zelare, id est, vehementer appetere, & studiosè affectare, & accersere vobis perditionem, per opera linguæ, & manuum vestrarum. *Neque acquiratis*, ib. Græc. *atrahatis, perditionem in operibus manuum vestrarum*. *To atrahatis*, notat, Deum elongasse à nobis mortem, & perditionem; eamque quasi in orco religasse: sed impios magnâ vi eam inde, solutis ejus vinculis, sibi attrahere: imò majori vi, quàm sancti sibi è cælo quasi attrahant felicitatem, & gloriam cælestem: quæ ingens est impiorum amenità, & furor. Cornelius hic.

Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Os. 13. 9.

Ex Novo.

Ædificavit domum suam supra petram &c. Matth. 7. 24. sapiens, *stultus super arenam*. Iisdem fluminibus, pluviis, ventis, utraque concutiebatur. Domus sapientis stetit; stulti collapsa est. Quis causa lapsus? non venti, non flumina, non pluvia; alioquin etiam domus sapientis corruisset. Causa igitur fuit arena, in qua domum suam stultus ædificator malè fundavit: non cecidisset, si firmum fundamentum posuisset. Stengelius t. 4. Judic. div. c. 56.

Angusta porta. Matth. 7. 14. Paradisi voluntas Dei est: ad istam oportet se adstringere, qui paradisum vult in trare. *Lata porta* est voluntas propria. S. Vinc. Ferr. l. 6. Dom. Sept.

Viri Ninivite surgent in Judicio cum generatione ista. Matth. 12. 42. Frequens est Dei gratia; rarus per humanam voluntatem usus gratiæ. Ergo Ninive ex rea sit repentiè arbitra, judexque Palæstinæ; & suis lacrymis obruit Jerosolyman. Nobis imputanda est duritia nostræ: qui, si occasione uteremur, felicitatis nostræ esse proculdubio non algæ in limo, sed palmites in carmelo. Quàm inter se dissentiant Herodes, & Magi! & tamen unius occasione Salvatoris exciti omnes sunt; sed affectu dispari. Non est, unde cælum adlatres, nam ubique tui dissimiles animas invenies, in causa, vitæque genere, planè consimili. &c. Oliya sup. Evang. Quadr. fer. 4. Dom. 1.

Nolebant venire. Matth. 22. 3. Quod præter regis, & servorum, expectationem fuit. Non ad bellum, non ad crucem; sed ad nuptias, vocantur. Et tamen noluerunt venire. Sylveira hic.

Omnia parata. Matth. 22. 4. In Ecclesia est prandium, in cælo cæna, ubi nihil occisum, sed omnia æternâ vitâ vivunt. Nihil est, quod prærogatum non sit, atque paratum, pro communi salute mortalium. Nostrium est, quod spirituali fame perimus; non accedentes, repetitis vocibus cum vocamur. Sim. Cass. l. 6. c. 24.

Duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur. Matth. 24. 40. Duo erant in agro, iisdem parentibus nati, Cain, & Abel; unus assumptus, alter relictus: quia disparia utriusque fuere fundamenta. *Jacob dilexit, Esau autem odio habuit*. Rom. 9. 13. Unus assumptus, alter relictus: quia diversum fundamentum. Esau in fundamentum posuit amorem proprium, & sensum carnis; Jacob supra Petram domum posuit; fiducia in Deum innixus. Corruit domus, non stetit, Saulis; non corruit domus, sed stetit regnum David. Uterque rex, & quidem ejusdem populi: ille propriæ voluntati innixus; David cor suum secundum cor Dei direxit. Non in eodem agro tantum, sed etiam in eodem templo, fuerunt Phariseus, & Publicanus. Luc. 18. 10. Unus assumptus, alter relictus, omnia illius jejunia, decimæ, elemosynæ, perierunt in superbiæ scopulos allisæ. Cecidit Petrus, cecidit Judas, uterque Apostolus, Petrus in Petra ædificavit, Judas in crumena. Latronum unus eodem die cum Christo fuit in paradiso, alter in Inferno: quia unus lucem gratiæ divinæ acceptavit, alter repudiavit. Stengelius antè citatus.

Venite benedicti Patris mei. Matth. 25. 34. E contra, quibus dicitur, *maledicti*, non dicitur, *maledicti Patris mei*: nam benedictionis quidem ministrator est Pater; maledictionis autem sibi quisque est author, qui maledictione digna operatus. Origenes tr. 34. in 25. Matth. Propterea Deus gehennam minatus est; non ut eam infligeret, sed nè infligeret. Et illam quidem paravit diabolo: *ite*, enim inquit, *in ignem, qui paratus est diabolo*. Matth. 25. 41. Regnum autem hominibus: ostendens, se nolle hominem trudere in gehennam. S. Chrysof. in Psal. 144. *Ibunt*; non mittentur.

Va homini illi. Matth. 26. 24. O faxeum Judæ cor! ô proditoris mens adamante, silice, & ferrò, impenetrabilior! quam emollire nequiverunt sermones sapientiæ, æternum væ, & maledictionis irrevocabilis sententiæ. Sed avertit homicida hic, & omnium sceleratissimus, faciem suam; nè cælum, cælorumque videret Dominum. S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 5. Seris ferreis interioris domus obstruxit januas, vestibusque firmavit; quatenus ad salutem ejus cunctorum salus aditum non haberet. Id. ib.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi &c. Luc. 1. 38. Noluit Deus carnem sumere ex B. Virgine, sinè ejus consensu; sicut Eva formata est ex costa Adami. Gen. 2. 21. ipsò dormiente. Ut significetur: quòd aliter se Deus habet in creatione, aliter in restauratione, ac salute nostra: nam in creatione utitur potentiâ suâ in-

depen-

dependentem à nostra voluntate; at in salute nostra non vult ita effici, nisi cooperantibus nobis, & consentientibus. Sylveira hic.

Viderunt oculi mei salutare tuum; quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium. Luc. 2. 30. Lumen illuminans positum ante conspectum hominum: ut, si non rectè ambulatur; non adscribitur Lumen, sed errare volenti, & oculos claudenti ad splendorem ejus. Sim. Cass. hic. *Ipsi sibi erant graviore tenebris.* Sap. 17. 20.

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam. Luc. 8. 5. Sibi soli homo adscribat suam perditionem. Theophylactus: *aliud cecidit.* non dixit, quòd projecerit. Did. Niss. Dom. sexag. §. 4.

Aliud cecidit inter spinas. ib. Cur bonus Sator tres partes facit; ubi sciebat, non esse fructum allaturus? Respondeo cum communi PP. Augustino, Ambrosio: ut manifestetur summa Dei bonitas; quæ, quantum ex se est, omnium salutem vult; etiam eorum, qui mandata non sunt servaturi: ut nulla sit excusatio ex parte hominis, qui dicat, se non credidisse, quia ei non est prædicatum Evangelium. Sylveira hic q. 2.

Parata sunt omnia. Luc. 14. 17. Omnia saluti nostræ, atque refectioni animæ necessaria, in regno Ecclesiæ sunt parata. De quo Paulus 1. Cor. 1. 4. 5. *gratias ago Deo meo quòd in omnibus ad vites facti estis: ita ut nihil vobis desit.* v. 7. sed parans omnia divina bonitas ad illa invenit homines imparatos. Sed nescio, quæ major perversitas, quam ad præparationes divinas se reddere imparatum. Hinc invitati se excusare ceperunt; plus intendentes præparationibus, & directionibus propriis, quam divinis. Deroganda, & nihili pensanda sunt omnia; ubi adest præparatio æternorum, & divinorum magnalium. Sim. Cass. l. 6. c. 19.

Nunquam dedisti mihi hædum. Luc. 15. 29. Queritur senior filius eò ipsò tempore, quòd munificum convivium, & vitulus saginatus, apponitur. Cur ex illo nihil accepit? an id effecit parcitas patris? Absit! causa fuit ipse filius; qui non introivit, & foris manere voluit. Divinæ mentis largitas in promptu est: tu illà te privas, quia non vis intrare, quia non accedis. Bæza t. 3. l. 14. c. 10. §. 10.

Non misit Deus Filium suum, ut judicet &c. Joan. 3. 17. Pius, benignus, & misericors, Deus est; qui vult homines salvos fieri: sed peccatores increduli eum ad judicandum trahunt. Iniquitas tribunal judiciale constituit; Salvare vellet, non judicare. Sim. Cass. l. 11. c. 6.

Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Joan. 5. 40. Nulla excusatio iis est, qui

tantum de pertinacia voluntatis propriæ arguuntur. Excusat sæpe homines in toto, vel in parte, invincibilis ignorantia; excusat in ferta fragilitas: cum verò solà voluntate dissonante agitur, nulla excusatio suffragatur. Id. ib. cap. 9.

Gratia ejus in me vacua non fuit. 1. Cor. 15. 10. Multos haberet Ecclesia Paulos, si à multis plenitudo gratiæ non projiceretur. Verùm, quòd copiosius in nos influit divina liberalitas; eò sterilior est cordis nostri senticosus ager. Oliva l. 9. Strom. §. gratia ejus. &c.

Habeo adversum te: quòd charitatem tuam primam reliquisti. Apoc. 2. 4. Blasius Viegas: notandum est verbum illud *reliquisti*: nec enim dictum est, *relictus es* à charitate; sed tu charitatem *reliquisti*: quia videlicet nos sumus, qui Deum primi relinimus. Did. Niss. Dom. sexag. §. 4.

Ex Patribus, & aliis.

Unicuique propria voluntas est causa suæ damnationis, vel salvationis. S. August. Man. c. 25.

Nihil aliud Deus à nobis requirit, præter voluntatem bonam. Nè dixeris, quomodo mea debebuntur peccata? ego affirmo tibi: quòd volendo, & credendo. S. Cyrill. Jerol. præfat. in Catech.

Multimoda sanè relicta est ratio consequentiæ vitæ æternæ, propter illius Passionem: Benignus enim cum sit Dominus, non unam, neque alteram tantum, sed multas æternæ vitæ januas aperuit; ut omnes, quantum in ipso est, absque impedimento illà potiri possint. Id. Catech. 18.

Quæ posthac nobis erit excusatio? si, cum tot adjuvant salutem nostram, in rebus inutilibus nos occupamus, solà negligentia nostram omittentes salutem? S. Chrysol. hom. 23. in Gen.

Unde alii quidem vasa iræ? alii autem misericordiæ? à propria voluntate. Id. hom. 16. in ep. ad Rom.

Dominus; qui potest, quæcunque vult; nullum alium salvare vult, nisi eum, qui vult salvari ab eo. Eusebius Emis. in Nat. S. Steph.

Quam pauci post te, ô Domine Jesu, ire volunt; cum tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit. S. Bernardus s. 31. in Cant. Apud Bæzam t. 1. l. 4. c. 3. §. 17.

Qui per suam liberam voluntatem, non necessitate, omnia condidit, ita per nostram liberam voluntatem, non necessitate, bonos gratiâ, beatos in gloria petit. Sux igitur potestatis, & voluntatis, est dare; nostræ verò est recipere voluntatis. Sim. Cass. l. 1. c. 24.